



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

5. An & quando obliget præceptum Contritionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

cessarius, sed sufficiat causalis seu qui est in voluntate, arg. can. Si propterea 28. can. Si cui 30. De poenit. Dist. 1. tamen & ille admodum utilis ac bonus est exemplo Davidis, Petri, Magdalena, Ninivitarum, & aliorum. Quamvis etiam utilissimum sit de singulis peccatis mortalibus contritionem elicere, singulaque detestanda sint, ac de illis dolendum, juxta illud Esaiæ 38. *Reogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: non tamen id absolute necessarium est, sed sufficit unico actu contritionis simul omnia peccata, post examen occurrentia, detestati: ut patet ex eo, quod traditur, peccatorem in momento posse justificari, juxta illud Ezech 33. *In quacumque hora conversus fueris & ingemuerit peccator*; relatum in can. Ponderet, Dist. 5. & juxta can. 3. De poenit. Dist. 7. Quod falsum esset, si pro numero peccatorum mortalium numerus actuum doloris requireretur. De modo acquirendi contritionem vide Conc. Trid. Sess. 14. c. 5.

## §. V.

## An &amp; quando obliget præceptum Contritionis.

1. *Contritio de necessitate est præcepti & medii.*
  2. *Non obligatur quis statim à commisso peccato ad contritionem.*
  3. *Præceptum contritionis quando obliget sub peccato mortali.*
1. **C**ontritionem peccati esse necessarium necessitate præcepti simul & medii colligitur satis ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14. cap. 4. ubi definit, contritionem omni tempore fuisse necessariam peccatori ad justificationem; vindicans se loqui de utraque necessitate: & ex illo Luca 13. *Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*
2. Et licet optimum acutissimum sit, statim commisso crimine conteri, juxta illud, *Non tardes converti*; tamen cum præceptum contritionis, sicut & confessionis, sit affirmativum, non obligat ad perpetuum, sed solum determinato tempore; uti & reliqua præcepta affirmativa. Ideoque non obligatur homo sub peccato mortali statim post commissum peccatum ad contritionem, quamvis commoditatem habeat illam eliciendi. Ejustamen dilatio sine causa, quæ nulla esse potest, circumstantia est aggravans peccatum commissum.

3. Obligat verò præceptum contritionis sub peccato mortali in periculo salutis animæ vel corporis: veluti in gravi infirmitate, in partu periculoso, instante naufragio, dum incundum est prælium, aut instituenda longa & periculosa navigatio, v. g. in Indiam; dum Sacramentum aliquod est administrandum vel suscipiendum,

## §. VI.

## De Confessione.

1. 2. *Confessio quid sit; & minister illius.*
3. *In eo requiritur potestas ordinis & jurisdictionis.*
4. *Proprius Sacerdos in hoc Sacramento quis dicatur.*
5. *Nullus audiri confessionem potest, nisi approbatus ab Ordinario.*
6. *In mortis articulo vel alio periculo quilibet sacerdos absolvere potest.*
7. *Aliquis sacerdos approbatus ex licentia propriis audire confessiones potest.*
8. *De casibus Romano Pont. reservatis.*
9. *De casibus Episcopo reservatis.*

**S**ecunda pars integralis Poenitentia est Confessio, quam jure divino omnibus post Baptismum in mortale peccatum lapsis, necessariam esse, atque à Christo ipso institutam (Joan. 10. illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum &c.* & Matth. 16. & 18. *Quodcumque solveritis super terram &c.*) definit ac docet Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. & can. 6. 7. & 8. Unde facile refelluntur opiniones quorundam, apud Gloss. in summa Dist. 6. De poen. aliter de hujus institutione sentientium

1. Est autem Confessio sacramentalis; de qua hic agimus; peccatorum suorum sacerdoti proprio ad eorum sacramentalem remissionem obtinendam facta declaratio.
- Dicitur peccatorum suorum, ex e. Omnia utriusque 12. h. e. in verbis, *omnia sua solius peccata.*
2. Dicitur, Sacerdoti: nam eum solum esse, ministrum hujus Sacramenti definitum est in Conc. Lateran. Florent. ac novissime Trid. can. 6. & 10. Colligiturque ex præcatis verbis Christi Joan. 20. loquentis solis Apostolis, & sic solis sacerdotibus; & Matth. 16 & 18. ubi similiter non omnibus, sed soli Petro & Apostolis promissæ sunt claves regni caelorum.